

seu quibuscunque specialibus vocabulis possent designari, subditorum fautorum participancium et communicancium hujusmodi per ipsos dictorum nostrorum processuum et mandati presentis vigore retinenda, supplentes omnem defectum de Cesaree potestatis plenitudine et de certa sciencia, si quis sollempnitatis obmisit, sentenciarum aut verborum obscuritate seu quovis alio modo obmissus seu commissus foret in premissis seu aliquo premissorum, non obstantibus quibuscunque legibus principum, constitutionibus, privilegiis, edictis publicis seu privatis, juribus municipalibus, statutis, consuetudinibus, observanciis, quibus dicti fautores adherentes, complices, communicantes, participantes et subditi se munitos, privilegiatos et exemptos pretenderent, quibus si et in quantum presentibus et omnibus premissis obviare censerentur, derogamus de Cesaree potestatis plenitudine, ac si presentibus inserta forent specificè et de ipsis de verbo ad verbum in presentibus fieri deberet de jure seu consuetudine mencio specialis. Presencium sub imperialis majestatis nostre sigillo testimonio literarum. Datum Moguntie anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo quarto, indictione duodecima, 3. Idus Novembris, regnorum nostrorum anno vicesimo nono, imperii vero vicesimo.

Ad mandatum domini imperatoris  
Theodoricus Damerow.

R. Wilhelmus Kortelangen.

Original im Staatsarchiv zu Düsseldorf. Anhängt Majestätssiegel an Pergamentstreif.

---